Quaestio medica Quodlib. Disputationibus excutienda, In Scholis medicorum, die Iovis 13 Januarii, D. Francisco Belotio, Doctore medico prudentissimo, Disputatore.

An vacuatione et alteratione febres curentur?

Humanum corpus tria constituunt: in quibus calor insitus degenerans febrium genus unum parit. Spiritus insistentes calore diaria aut plerumque hodie protinus excitatur. Humoribus eodem igne corruptis, in iis quidem qui corporis habent athleticum, accedunt synochi: ceteris omnibus pro varia putrescentis humoris natura, vel biliosae vel pituitosae vel melancholicae: eaedemque ad apyrexiam desinentes, vel unico circumscriptae paroxysmo: exquisitae omnes, vel paululum a sua natura discedentes, invadunt. Quod si partes quoque solidas consimilis ardor intemperies, maxima fit totius corporis dissolutio. Hinc febres illae aspectu terribiles, quae spiritibus humoribusque plane exhaustis, effoetum corpus lucernaeque simillimum reddunt.

Sunt igitur febrium trium praecipue genera, omnes inter se cum reliquorum elementorum, tum maxime caloris qualitate eiusdemque motus specie, sapore quoque et colore, atque aliis huiusmodi plurimum differentes. Quibus inter se uno atque altero modo compositis, mille febrium formae emergunt: quarum omnium minime insolens hemitritaeus.

Febrium omnium constitutionem causae quaedam in corporibus nostris febrilem affectionem relinquentes universalibus morborum calidorum causis haud dissimiles antecedunt: a quibus raro futurorum praesensio, medendique ratio desumitur. Omnium igitur simplicissimas febres, quandoque tamen putredinis comites, procatarcticae multitudine innumerabiles, in iis potissimum naturis, quarum temperamentum undecumque fuerit, calidum siccumque est, procreare solent. Quas quidem in acutas vel hecticas diuturniores suo medicinam facientes promptissime commutaverint. Putridis easdem causas tribuere minime fuerit alienum, modo cacochymiam, vel plethoram insignem haud vulgaris excipiat obstructio. Ardentibus succedunt hecticae humido substantifico, vel adhuc efflorescente, vel penitus consumpto. Sinioris alia sunt quae diariis consimilem ortum habent.

Diarias notant quae praecedunt evidentes causae, urinae bonitas primo statim die apparens, pulsus aequales, nullius inflammationis indices, calor vel in ipsius morbi statu mitis et blandus, pro temperamentorum et causarum differentiis varians. Omnes sudore vel madore quodam suavi, nullo deinceps subsequente paroxysmo, solvuntur. Quae vero et summa tranquillitati coniuncta apyrexia si non adsit, putridam iure optimo suspicabimus, cuius species ex frigore, vigore, horrore, anni parte, laborantis aetate, temperamento, victus genere, ambientis constitutione, febrili inclinatione vel libera solutione, pulsibus denique et urinis, materiae caloreque motu, accessionibus poteris distinguere. Hecticarum genus febrium, visu tactuque notissimum.

In omnibus huiusmodi morbis quaedam copia, quaedam qualitate, nonnulla utroque delinquunt, quae vel febres accendunt, vel easdem fovent: quibus utroque nomine vacuatio et ~~alteratio~~ alteratio debetur. Plerumque hodie febribus laborantibus una et eadem opera vena sectione vacuandi, simul et pristino temperamento restituendi: tum ptisanae cremore, vel alica cibisque aliis concoctu facilibus, et parum nutrientibus cibandi. Diarias solo oblato a lavatione cibo unique potu facile sustinebis. Succis omnibus ex aequo adductis et putrescentibus praestantissimum fuerit auxilium vena sectio, nunquam omittendum, nisi aliunde laboranti natura fuat suspecta. Reliquis humoribus singulis vitium facientibus, unde febres intermittentes aut illis congeneres synochae, sanguinis missione, nunc altero curationis genere prospiciendum: quibus diaeta humida, maxime vero hecticis confert.

Vacuatione igitur et alteratione febres curandae.

D. Doctores hoc ordine disputaturi.

1 M. Jo. Vasserius
2 M. N. Magnus.
3 M. Cl. Becquetius.
4 M. C. Mouchiny.
5 M. Ca. Stephanus.
6 M. Val. Hieronymus.
7. M. Cl. Rogerius.
8 M. Pe. Collier s.
9 M. L. Burgensis. M. R.

Has propositiones deffendebat Petrus Laffilaus parisiensis. 1551.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE